

Vestigium aliud diuinæ omnipotentiae huic affine et proximum est; quod non solum opus Deus non habuerit materia aliqua ad res creandas, sed quod neque aliquo instrumento, quemadmodum Irenæus docet (14), et aduersus Arianos veteres sæpe vsurpant. Haeretici enim illi, vt alibi fortassis demonstrabimus, Deum Patrem adseriebant, quum res omnes vellet producere, primum Verbum suum filiumque procreasse, quo velut instrumento cetera faceret. Quos non aliunde, quam ex diuina omnipotentia conuincunt; cuius ea est conditio, vt adiutorem nullum requirat. Tertium omnipotentiae vestigium est, quod res easdem a se de nihilo factas conseruat; quae ne momento quidem consistere possent, si eas fouere desineret. Quod explicat Augustinus (15), eoquæ accommodat illud ex octauo capite Sapientiae sumtum: »pertingit a fine vsque ad finem fortiter, et disponit omnia suauiter«. Item illud Actorum xvii: »in illo viuimus, »mouemur et sumus«.

CAPVT VI.

Eorum errorem refert, qui Deo omnipotentiam detrachere conantur: quæ ad eam euertendam facere videntur discutit: loca Patrum exponit.

Stultissimi omnium habendi, vt disserte Petrus Damian. scribebat (1), qui Deum non posse aliquid senserunt; non solum qui christianum vt-cumque nomen præferunt, verum etiam ethnici, alique. Eiusmodi Philosophi quidam exstiterunt, quorum argumenta contra Dei omnipotentiam refert Plutarchus (2). Eiusmodi fuit et Plinius, qui eisdem rationibus diuinam omnipotentiam oppugnauit. Inter Hebræos etiam fuit quidam nomine Rabsaces, qui adeo infirmum esse aiebat Dominum Deum Israel, vt minime posset liberare Ierusalem de manu Regis Assyriorum. Populares ipsi Iudæi in solitudine ausi sunt erumpere in hanc contra omnipotentem blasphemiam: »numquid poterit Dominus »parare mensam in deserto? vt legimus in Psalm. lxxvi. Erant enim eo errore detenti, quod et Dii essent alii apud gentes, et vnus ille, quem colabant, non haberet vndique maximam potestatem.

His adiungendi sunt haeretici varii generis Deo omnipotentiam adi-

(14) In lib. ii. cap. 2.

(1) Opusc. xxxvi. cap. 5.

(15) Lib. iv. de Gen. ad lit. cap. 22.

(2) Lib. 1. de placitis Philos. cap. 5.

adimentes. Sic antiquiores illi insaniae ac perfidiae magistri, qui plures Deos, hoc est, principia contraria inuicem, et coaeterna finxerunt, vt Marcion, Manichæus, Marcōsiti, Colorbasci, ceteri, quos Epiphanius potissimum congressit. Aut qui mundum non ab summo ac præpotente conditum Deo, sed ab Angelis, illo etiam inuito vel inscio finxerunt, vt Saturnilliani et alii, qui ab eodem Epiphanio memorantur. Omnes isti, qui ius et potestatem in res omnes adimunt Deo, quoad vim et facultatem procreandi, »conati sunt, ait Augustinus (3), quidam persuadere Deum Patrem non esse omnipotentem: non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire et credere conuincuntur. Quum enim dicunt esse naturam, »quam Deus omnipotens non creauerit, quem pulchre ornatum esse »concedunt, ita Patrem omnipotentem Deum negant, vt non eum »credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, scilicet, quæ iam fuerat et quam non fecerat, vteretur«.

Eadem dogmatis impietate conuincuntur et illi omnes, qui adseruerunt, vel materiam a Deo non esse creatam, vel Deo opus esse instrumento ad creandum; aut Deum non posse plura et maiora, quam fecit facere: aut etiam qui postremo absolutam illi potentiam denegarunt. In primo genere continentur præcipue Manichæi, materiam aeternam et non ex nihilo factam ponentes, ex qua Deus vniversalitatem hanc rerum condidit. In secundo sunt Ariani, qui Dei Filium velut instrumentum a Patre conditum esse voluerunt, quo Pater ipse ad cetera procreanda vsus sit. In tertio Petrus Abaelardus numeratur (4), qui id solum posse facere Deum aliquando sensit, quod quandoque fecit. Demum ad quartum genus pertinere nonnulli opinantur Wiclefsum et Caluinum, qui Deum nihil posse amplius facere adserunt quam quod fecit, futuramque præcuntiauit. Atque Caluinum insuper Dei potentiam commentum vocasse, sunt qui dicant. Sed hunc ab errore isto immunem credunt Gaspar Lucin et Dionysius Pe-tausius (5).

His autem adnumerandi sunt non pauci huius nostrae aetatis haeretici, qui diuinæ potentiae multum detrahunt; hos inter sunt, qui Deum meliora his quæ fecit non posse facere autumant, vt Popes et Voltaire; quiue plures mundos a Deo creati non posse censet, non quidem omnipotentiae defectu, sed quia plures esse nequeunt, vti

Bb 2

Guil-

(1) Lib. de fide et symbolo cap. 2.

(3) Dissert. iv. cap. 2. Lib. v.

(4) Lib. iii. intr. cap. 1.

cap. 6.

Guillelmus Parisiensis. Ast manum de tabula. Ad discutienda ea quae ab istis obiici solent, quibus divina euertatur omnipotentia, transcamus.

Itaque argumentantur multipliciter diuinæ omnipotentiae impugnatores. Primo: tanta sit oportet diuinæ omnipotentiae amplitudo, quanta est diuinæ voluntatis; quum Dei potentia et voluntas idem omnino sint; sed Deus non vult omnia: neque ergo omnia potest.

Secundo: nequiquam potest Deus mori, mentiri, peccare, non facere quod res iam praeterita non fuerit, non immutare, et rerum naturas euertere: non igitur omnia potest.

Tertio: Deus minime absque prouidentia operari potest; at absque illa operaretur si ea posset facere, quae non praeuidit: ergo sola illa quae praeuidit facit; sed praeuidit sola ea quae facit: igitur sola ea quae facit, haec potest, et non plura.

Quarto: impossibile prorsus est quidquid facere Deus non decreuit, quidquid ipse non vult: hinc etiamsi Christus Patrem sic apud Matth. fuerit adlocutus: »si possibile est, transeat a me calix iste«, a morte illum minime liberauit, quia mortem iam decreuerat.

Quinto: inuidus profecto Deus haberetur, si potens meliora his quae procreauit facere, nec tamen fecisset; sicut et inuidus haberetur si filium sibi aequalem potuisset gignere, nec genuisset, ut Augustinus adserit (6): Deus itaque non potest meliora facere his quae fecit.

Sexto: quum Deus optimus vndequeque sit, optima quoque quaecumque fecit necesse est esse: quin et metiendae sunt artificis sapientia et prudentia ex opere confecto; ut in artefactis hominis fit. Haec sunt praecipua argumenta contra Dei omnipotentiam, quae solvere non erit multum difficile, neque operosum.

Primum ergo sic discutitur: Dei omnipotentiam ac voluntatem, quamuis realiter et in se idem; differre tamen per diuersa connotata: hinc omnipotentia respicit omnia possibilis; voluntas vero quae definita sunt ac volita. Maior itaque est diuinæ potentiae amplitudo, quam sit ipsius voluntatis: illa tamen ex voluntate potest demonstrari apertissime: nam si dignoscitur imbecillitas creaturae ex quo possit impediri quod ipsa vult, optime Dei potentia probatur, ex quo quod ipse Deus vult a nullo queat impediri. Hoc tamen amplius ex aliorum solutione constabit.

Ad

(6) Lib. lxxx. quaest. q. 50.

Ad secundum responderetur: esse quaedam, quae a Deo fieri non posse vulgo et impune quidem dicuntur. Sunt huiusmodi: Deum non posse mori, mentiri, peccare et fallere. Haec vero Deum non posse, non infirmitatis argumentum est, sed potentiae: atque quoad moriendi potentiam, quum id Dei naturae contrarium sit, et secundum potentiam passiuam attendatur, quae imperfectio quaedam est materiae consecraria, Deo imperfectionem inferret. »Omnipotens enim est «faciendo quidquid vult, non patiendo quod non vult«, ut Augustinus loquitur (7). Vnde hoc non posse non imbecillitatis esse in Deo aut coactionis adserit, sed potius naturae firmitatem, agendique ostendit stabilitatem: ut quum homo natura sua ratione praeditus, et simili patre genitus, nihil se posse dicit, praeterquam quod in patris ac sui natura insitum est, facere. Et quidem si id posse potestatis argumentum esset, Angelos animosque immortales deteriores pecudibus dicere deberemus.

Id ipsum de potentia fallendi ac peccandi dicendum est. Nam mendacium et peccatum non habent efficientem causam, sed deficientem, ex quo defectum ac priuationem importent: quae autem esset Dei potentia si id posset? Fortassis summa illa esset posse a veritate et bonitate excidere? Merito ergo Augustinus (8): »non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli: tanta non potest, quia si posset, non esset omnipotens«. Haec autem quae relate ad creaturas nullam important contradictionem, quum illae potentiam habeant passiuam, atque ab esse possint excidere; apud Deum summam dicunt repugnantiam, quum ex sua natura habeat, nequiquam ab vilo esse excidere posse.

Quod vero spectat ad res quae iam fuerunt, non sibi Theologi consentire videntur. Petri Damiani sententia illa creditur, quae adserit (9), quod Deus omnipotens illud quoque facere possit, ut compressa Virgo non sit compressa: sic enim loquitur: »quod malum est non potest facere Deus, quia nec potest etiam velle; quod vero bonum est, et velle potest et facere; tametsi quodam cautela suae vel prouisionis intuitu quaedam bona, aut raro faciat, aut numquam faciat«. Teneat hanc sententiam Gilbertus Porretanus alique, quibus placet quaestionem dirimere rem praeteritam intelligendo praeteritione praecisa, atque in sensu diuiso, non in sensu composito et reduplicatiuo: hoc in sensu luenin etiam procedit ut nomen

(7) Lib. v. de ciuit. Dei cap. 10. (8) Serm. cix. de temp. (9) Opusc. xxxvi.

dum soluat (10). Verum Theologi alii, et quidem nobilissimi, negant vnanimiter pertinere ad infinitam Dei summamque potentiam, quod facere possit ea non fuisse quae iam fuerunt. Id quod apertissime docuit Augustinus cuius verba pro solutione sint (11). »Quisquis dicit, »si omnipotens est Deus, faciat vt quae facta sunt facta non fuerint; »non videt hoc se dicere: si omnipotens est, faciat vt quae vera sunt, »eo ipso quod vera sunt falsa sint. Potest enim facere quod aliquid »non sit quod erat, tunc enim facit quod non sit, quando id ipse »inuenerit de quo fiat; vt quum aliquem, qui coepit esse nascendo, »facit non esse moriendo, hoc enim factum inuenit, de quo fieret. »Quis autem dicat, vt id quod iam non est, faciat non esse? Quid- »quid enim praeteritum est, iam non est; quod si et de ipso fieri ali- »quid potest, adhuc est de quo potest«.

Mutare deinde Deus rerum essentias dicitur, prout in se existunt, et sunt in rerum creaturarum serie; hoc pacto aquam in vinum, in sanguinem conuertere, aliaque his similia facere potest Deus: non sic si rerum naturae in notionibus ipsis inspiciantur, seu quoad praedicata ipsis essentialia: neque enim sic sumtae aliud quidquam sunt, quam animi perceptiones omnino immutabiles.

In tertio soluendo fatendum illud est velut certissimum, Deum prouide semper operari, imo et praescire quae sit ipse facturus; at ex hac Dei praescientia et prouidentia neququam inferri, ea quae non fuerunt praeculsa, possibilia non esse, licet inferatur illa non esse futura: nam poterat Deus alia praecordinare et praescire.

Quartum sic soluitur: quidquid Deus facere non decreuit, atque quod sapientiae suae consilio non vult, impossibile esse tantum ob decreti repugnantiam; non vero absolute et virium defectu. Potest enim aliquid dici multipliciter impossibile. Primo quidem, quoniam ad illud vires pares non suppetunt: quemadmodum paruulus nequit athletam exercere: deinde impossibile dicitur, quod vt plurimum non fit: quo sensu dicitur apud Matth. »Non potest ciuitas abscondi supra montem posita«. Dicitur etiam impossibile, quod rationi contrariatur aut legi, vt illud Gen. xlii. »Non potest puer relinquere patrem suum«: illud quoque impossibile est, a quo voluntas iustissime aliena est, vt est illud quod legitur apud Marcum cap. vi. »Et non poterat ibi virtutem vllam facere propter incredulitatem eorum«. Demum dicitur impossibile, quod hominibus certe tale est,

non

(10) Dissert. iv. q. 9. cap. 1. (11) Lib. xxxvi. contr. Faust. cap. 5.

non Deo: cuiusmodi miracula omnia sunt. Itaque Deo nihil omnino est impossibile in prima, secunda ac quinta acceptione; est tamen in tertia et quarta. Quando ergo impossibile dicitur fuisse, quod Christus ab imminente mortis periculo liberaretur, id in quarta ex adductis acceptione intelligendum est: neque Christus Dominus Patrem ita adloquens, si possibile est cer. dubitauit de Patris potentia ad illum liberandum, quum apud Deum omnia possibilia sint; sed verborum hic sensus est: si potest id fieri ordinata potentia stante cum decreto aeterno, quod idem est ac si reuera dixisset: si vis. Atque hunc esse sensum expresse habemus apud Lucam cap. xxi. vbi dicitur: »Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat«. Responsonem hanc praeter Sac. Scr. Interpretes, Grotius commentario in hunc locum confirmat: »quomodo autem cohaeret conditio illa, inquit, si possibile est, quam cum Matthaeo etiam Marcus ponit, cum eo quod apud Marc. sequitur: omnia tibi possibilia sunt? Nimirum, recurrendum hic est ad illam tritam in scholis distinctionem, eius quod impossibile sit per se; et eius quod impossibile sit hoc vel illo posito. Nam per se nihil est Deo impossibile extra ea quae sunt in semetipsis repugnantia, aut quae diuinae naturae repugnant. At sensus est, si tua decreta ferunt, aut alio modo tuae gloriae et hominum saluti aequae consulatur«. Verbo id dicamus: Deus omnia potest inspecta potentia absoluta atque voluntate supposita.

Quinto sic occurrimus: inuidentia quum sit illa odium alienae foelicitatis, non habet locum in iis qui maxime inter se distant: hinc Deus nullo pacto potest inuidus creaturis esse, quae nihil possunt detrahare diuinae foelicitati, quaeque quam longissime a Deo semotae sunt; non ergo tenet ratione aliqua adducta paritas; quum filio aequalitas naturae debeatur, eo quod omnis generatio in naturae similitudinem debet fieri; sine inuidentia itaque non potest Pater filio suo perfectionem vel minimam denegare. Nec obest quod Augustinus dicat (12): »si bona facere potest Deus, nec faceret, magna esset inuidentia«. Loquitur siquidem S. Doctor supposita hac prouidentia, et stante decreto tribuendi singulis rebus statutam perfectionem; quam, quum sit immutabilis, et inuidentiae, sicut et cuiuscumque alterius passionis expers, largitur Deus quadam necessitate consequentiae, modo quo libere definierat.

Ul-

(12) Lib. iv. de Gen. ad lit. cap. 16.

Ultimum sic discitur: quaecumque Deus fecit optima illa sunt, quatenus fini praecinto, atque praefinito ordini maxime congruentia; non quia natura conditionem talem habeant, quam praestantiorum aliquam Deus producere non valeat: neque Dei virtus infinita ex substantia rerum ab ipsa productarum repetenda est; haec enim velut nihilum est comparate ad auctorem suum. Optime vero illa intelligitur ex modo et ratione eas producendi: nam quum artifex supremus, neque materia, neque temporis interuallo, neque causarum aliarum subsidio opus habeat, satis hinc virtus eiusdem ac potentia colliguntur; adeo ut merito dixerit Augustinus (13): »Deus »ita artifex magnus est in magnis, ut minor non sit in paruis: quae »parua non sua granditate, nam nulla, sed artificis sapientia metien- »da sunt«.

Quin et quum Deus artifex sit perfectissimus essentialiter, neque artem ullam acquirit, neque operando proficit, neque ex operum suorum conditione sola commendari proinde debet; sed praecipue ex modo operandi infinito atque incommunicabili, quo in minimis etiam rebus producendis vtitur: homines autem materia et instrumentorum ministerio agentes, non alio pacto industriam suam valent monstrare nisi artefacta elaborando: quae deinde industria ipsis operibus perficitur, et ex eisdem aestimatur.

Haec pro soluendis argumentis dicere debemus. Patrum loca quaedam difficilia a nonnullis obici solita, modo explicemus oportet, atque ad commodam sententiam ducamus. Duo tresque occurrunt, qui ita disputant, ut id solum neque velle neque posse Deum, aiunt, quod vel iniquum sit vel indignum. Ex quo deinde sequitur, nihil aliud posse Deum facere, nisi quod fecit ac voluit, quia quod non vult, id iniustum est atque indignum. Sunt vero qui sic sentire videntur atque loqui Athenagoras (14), Gregorius Nyssenus (15) et Hieronymus (16). Quorum tamen sententiae haec sunt, si prima, ut aiunt, facie inspiciantur. Illorum prior resurrectionem corporum neque non posse Deum adserit, neque non velle facere. »Non nolle autem ideo probat, quia quod non vult, vel quia est iniustum non vult, »vel quia est indignum«. Neutrum vero est in corporum resurrectione. Gregorius deinde Nyssenus, postquam Verbum Dei omnipotentem esse docuit, ex eo sequi, dicit, mundum ab illo fuisse pro-

(13) Lib. II. de ciuit. Dei cap. 22.

(14) In lib. de resurrect.

(15) Tom. II.

(16) In cap. IV. Danielis.

creatum: quippe »id illum omne velle quod bonum est: volentem »autem plane etiam posse; quum vero possit non inefficacem esse, »sed omne boni propositum ad effectonem perducere. Porro bonum »quiddam est mundus, et quae in eo sapienter ingenioseque con- »templamur«. Demum Hieronymus ad illa verba: »iuxta volunta- »tem enim suam facit tam in virtutibus coeli quam in habitatoribus »terrae, et non est qui resistat manui eius, et dicat ei quare fe- »cisti?« Haec adnotat: »et hoc loquitur quasi homo saeculi. Non »enim quod vult hoc facit, sed quod bonum est hoc vult Deus. »Nabucodonosor autem sic locutus est, ut dum potentiam eius prae- »dicat, iustitiam eius videatur arguere, quod immerito poenas susti- »nerit.«

Sed facile hi Patres exponuntur: atque quod ad Athenagoram et Gregorium Nyssenum spectat, illorum ratio ita procedere censenda est, quum rem esse factam aliunde constat, ut quum christiana fides id docet; sed aduersus negantes infideles argumentis est illa probanda: e quibus vsitatum illud optimumque est, si nec iniustum hoc esse monstratur, nec Deo indignum. Id quod et erga corporum resurrectionem et erga mundi creationem cuique manifestum est; quum ex his duo isthaec sint, quae fides christiana probata habet, et aduersus gentiles nec iniusta nec Deo indigna iniuncte a Patribus demonstrari valent.

Hieronymi autem verba sic Abaelardus explicat (17), ac si diceret: »non ita ut aestimat Nabucodonosor operatur Deus, more »videlicet eorum, qui in his quae faciunt, non tam quod bonum est, »attendunt, quam ut suae satisfaciunt voluntati, qualiscumque ipsa »sit, de quibus scriptum est:

»Hoc volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.

»Sed magis velle dicendus est singulari ut fiant, quia bonum esse ut »fierent vidit«. Rectissime id quidem. Nam hoc vnum Hieronymus contendit, Deum non statuere tyrannorum more quidquid libitum est, nullo aequi vel iniqui discrimine; sed illum pro cuiusque meritis bona vel mala dispensare. Quam iustitiae normam tenuit in Rege illo superbissimo castigando. Et haec pro PP. locis explicandis.

CAPVT VII.

De energia seu Dei actione ex veterum sententia discurret.

Questionem hanc iis quae de diuina omnipotentia dicta sunt adiungimus, quo plenior de ea notitiam exhibeamus. Est enim, prout in praesenti, *energia* diuinae voluntatis interior actus, qui externam operis effectiōnem dirigit et antecedit, quae ab omnipotentia et exe- quente Dei facultate profiscitur. In huius autem vocis notione il- lustranda plurimum laboris ac studii Patres, Graeci maxime, posuerunt. Hos inter Ioan. Damascenus accuratius eam exposuit (1). Primum enim pro naturalibus accipi viribus et facultatibus, ait, vt sunt in- telligendi, cognoscendi, aliae. Sed et esse naturalem vnius cuiusque vim etiam adserit; tum motionem cuiuslibet substantiae a natura insi- tam: ex quo sequitur, vt quorum substantia et essentia eadem est, sit eadem et *energia*; quae vero naturam habeant diuersam, eorum sit *energia* diuersa: fieri enim neutiquam potest, vt substantia vl- la naturalis sit expers operationis. Interdum vero et actiones ipsae *ener- giae* vocantur: eiusmodi sunt loqui, ambulare, edere, bibere, aliae. Item naturales affectiones, vt fames, sitis, cet. Denique opus ipsum et effectum facultatis alicuius *energia* nominatur. Ex iis autem qua- druplex huius vocis significatio colligitur, vt monstratum est. Harum prima, vi nempe et potestate agendi, vsus est Basilius in primo con- tra Eunomium: appellat enim in illo loco *energias*, quae nos attri- buta vocare consueuimus, veluti prouidentiam, cet. Haec tamen vocis acceptio minus propria videtur; quoniam *energia* agitur, non agit, vt Gregorius Nazianzenus loquitur (2). Id ipsum quod de pos- trema acceptiōne iudicamus, qua *energia* pro opere ipso accipitur. Siquidem *energia* in motione posita est. Hinc Graeci Theologi eam solent definire (3): »certam naturae vel essentiae substantiaeque »motionem«. Quam ob rem secunda et tertia acceptio propriissimae »videntur, tam ea quae intimam ac natura insitam et primam omnium actionem exprimit, quae perpetua sit nec intermittat vn- quam, quam quae manantem ab ea et externam atque sensibilem actionem, in opus etiam egressam complectitur.

Iam

(1) Lib. II. de fide orthod. cap. 25. et lib. III. cap. 15. et lib. de format. hom. ad imag.

(2) Orat. xxxvii. (3) Psellus in politicis versibus ap. Petau. lib. v. cap. 10.

Iam vero iis positus, Dei *energiam* siue actionem operatio- nemue, quae quidem intestina est et in agente manens, ab ipsius substantia non differre, argumentando euincere posse speramus. Nam Deus ea stabilitate status sui atque constantia praeditus sit oportet, vt nullum in eo motionis genus reperiatur. Sic Dionysius (4) et Ma- ximus martyr (5) inter alios. Ex quibus efficitur nullum in Deo ma- nentem actum inesse ab eius substantia distinctum: si enim aliquis in- esset, nihil a creatis et intelligibilibus substantiis in agendo distaret, quarum motio est ipsa mentis aut voluntatis actio, substantiam af- ficiens illique accedens. Ioan. autem Cyparissius (6) illam Dei mo- tionem, de qua ambo illi loquuntur, externam interpretatur, vt sit creaturarum rerum productio, quam et emanationem appellat: quem- admodum vero emanatio illa Deique motio fiat, vultus exemplo de- clarat, qui nulla mutatione sui varias ex se imagines profundit. Ita vniuersae de quacumque actione sentiendum esse Dionysius Maxi- musque persuadent, ideo nullam in Deo motionem esse, quia nul- lam commutationem patitur, quum extrinsecus mutet vniuersa.

Sed et ratio altera aliunde est, qua nihil a Dei substantia eius actionem differre probemus; quod nempe in illo potentia esset ali- qua, quod in illo admitti nequit. Hinc Maximus martyr (7) Deum, ait, essentia et substantia sua esse suam operationem, praesertim in- telligentiam atque ideas ipsas, quae sunt diuinae mentis notiones. Habent similia Cyrillus (8), Gregorius Nyssenus (9), Basilius (10), Dionysius (11) et alii, quos longum esset referre.

Nec contra ista faciunt, quae Ieremias obiicit, nempe, Dei *energiae* ad vtilitates nostras descendunt; substantia vero ipsa mi- nime procedit: igitur ambo ista inuicem distant: vtrumque falsum; siue *energias* ipsas, quae sunt in Dei substantia, hoc est, proprie- tates eius extra Deum progredi; siue substantiam ipsam non eo mo- do extrinsecus procedere quo proprietates manare dicuntur, nimirum efficientia ipsa et actione. Nam vna simplexque Dei substantia non se ipsam, sed actiones suas effectaque producit; et hoc sensu se dif- fundere ac communicare dicitur. Quod si continue profluere ope-
Cc 2 ra-

(4) De div. nomin. cap. 9.

(8) Lib. XIII. thes.

(5) Enarrans locum illum.

(9) Lib. XII. cont. Eunomium.

(6) Dec. III. cap. 10.

(10) In lib. v. cont. Eunomium de

(7) In comment. ad cap. 5. Diony-

Spir. S. agens.

sii de diuina. nomin.

(11) Lib. de diu. nomin. cap. 5.

rationem Dei sic intelligitur, vt ex omni aeternitate manarit aliquid extra Deum, id est falsissimum. Nulla enim externa Dei et a Deo deriuata actio est, nisi creatum aliquid extret in quod effundatur. Ceterum quidquid creatura non est, esse Deum, neque praeter hunc, non creatum esse aliquid christianus nemo dubitat. Quare si *energia* illa Dei substantia non est, creata sit oportet.

Neque illud etiam difficile est, quod ait, *energias* illas, scilicet, varias in Deo esse, substantiam vero vnam et simplicem: vnde inuicem ambas discrepare concludit. Nam, vti saepius dictum est, Deus vna et eadem res est et simplicissima, in quo sola ratione, non re, multa discernimus. Quo tandem fit, vt nihil roboris ea habeant, quae ex Eunomia sumta Graeculi opponunt, quibusque Filium non ex Patris substantia, sed ex eius voluntate prodiisse suadere caussantur. Neque enim aliam catholici Patres aggressi sunt viam, vt eos debellarentur, quam actionem voluntatis esse in Deo ipsam eius substantiam ingenti studio conuincentes. Legendus de re hac inter alios Cyrillus (12) et Ioannes Cyparissiotus (13). Haec pauca nos ex innumeris adduximus, quae pro pleniore Dei potentiae notione desiderari videbantur. Reliqua diuinam voluntatem attingentia discutiamus.

CAPVT VIII.

Dei amorem considerat: illius obiecta designat.

Reperitur in Deo amor perfectissimus.

Dei amorem commemorant primo Scripturae. Legitur enim Deuter. xxxiii: »dilexit populos«. Ierem. xxxi: »in charitate perpetua dilexi te«. Genes. i: »vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona«. Sap. xi: »diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti«. Et Ioan. xvi: »ipse Pater amat vos«.

Philosophis etiam ipsis veritas haec nota fuit, qui proinde rerum principium, Dei amorem posuerunt, cui Philosophorum sententiae consonat illud Dionysii dicentis (1): »diuinus amor non permisit ipsum sine germine esse«. Accedit S. Thomae ratio (2): nam primum voluntatis motus est amor: quum in Deo ergo voluntas sit, et amo-

(12) In thesaur. lib. xxxii.

(13) Dec. iii. cap. 5.

(1) Lib. de diu. nom. cap. 4.

(2) I. p. q. 20. art. 1.

amorem esse consequens est: non vt hic passio est seu affectio et concitatio animi adiunctam habens corporis commutationem, maxime circa cor, quod est principium motus, sed vt appetitus ratione vtentis, seu voluntatis natura sua spiritualis propensio et actus est.

Amat autem Deus primo se ipsum perfectissime; quum hoc amare sit, quod velle cuiuspiam bonum; ipse vero summe bonus, imo et bonitas sua sit: amat deinde creaturas suas propter propriam sui ipsius bonitatem: Deus namque aliquid bonum creaturis suis largitur, existentiam, nempe, conseruationem, et quidquid ipsarum conditioni, et rerum ordini maxime congruit. Quin si nondum productae fuerunt, id ipsum illis sempiterna sua voluntate conferre decreuit: vero itaque amore illas prosequitur. Sed id Deus exequitur propter semetipsum, quod et patet ex Scriptura dicente Prover. xvi: »omnia propter semetipsum operatus est Dominus«, et manifestissima ratione euincitur; sola enim diuina bonitas est charitatis obiectum, vt inquirunt, speculatiuum; et ita Deo ratio primi principii conuenit, quemadmodum et finis vltimi. Hinc sicut operari non potest nisi ex se ipso, ita nisi propter se nequit aliquid velle ac diligere.

Quo deinde amore Deus creaturas suas prosequatur? Altera questio est hic obiter discutienda. Atque duplici illo Dei amore, amicitiae, nempe, et concupiscentiae ex Philosophorum et Theologorum sententia admissio, nemini dubium esse poterit, quin Deus homines et Angelos amicitiae amore diligat, non item cetera quae sunt rationis expertia. Quum enim amicitia sit, vt eam Tullius definit: »voluntas erga aliquem bonarum rerum, illius causa quem diligit, cum pari eius voluntate«, quoniam pacto potest Deus, quae carent ratione, amore amicitiae complecti, quorum par esse nequit erga ipsum voluntas, seu a quibus vicissim amari non potest? Soli itaque Angeli et homines hoc amore a Deo diliguntur, qui mutua illum possunt benevolentia prosequi; reliqua vero concupiscentiae amore diliguntur, quatenus ea Deus ad hominum vtilitatem ordinat ac refert, atque ad se ipsum etiam, non perinde ac si eis indigeat, sed ad declarandam bonitatem suam, promouendumque hominum bonum.

Quamuis autem omnes creaturas suas Deus amet, vt expositum est, non omnes tamen aequaliter. Non quod sit eius in aliquas prae aliis amor intensior atque feruidior; sed quia maius quibusdam bonum vult, aliasque aliis meliores fecit. Hinc praeclare S. Augusti-

tinus (3): »omnia diligit Deus quae fecit, et inrer ea magis diligit
»creaturas rationales, et in illis eas amplius, quae sunt membra
»Vnigeniti sui, et multo magis Vnigenitum suum«. Hinc et D. Tho-
mas infert (4), a Deo meliora plus diligit, quare enim meliora sunt,
nisi quia maius eis bonum voluit?

Contra haec tamen omnia, quae vniuerse de amore Dei sunt
dicta, faciunt quae sequuntur. Primum: videtur Deum nihil aliud
quam se amare; diuinus enim amor indistinctus est a Dei essentia;
Deus vero aliud non est quam ens a se. Secundum: Deo absdubio
indignus est amor concupiscentiae; at eiusmodi est amor quo crea-
turas diligitur dicitur, quum eas diligit propter se: nequit ergo illas
propter se amare. Tertium: non potest intelligi Deum creaturas suas
diligit, si in illis saepenumero vult mala; sed re vera mala in illis
vult: non ergo eas diligit. Quartum: zannon Christus Dominus toto
humano genere melior? at homines Deus prae Christo magis dile-
xit; nam ad Rom. viii. Apostolus scribit: »proprio Filio suo non pe-
»percit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum«. Quintum: ex-
ploratum omnino est, praestare hominibus Angelos; hos tamen mi-
nus illis a Deo fuisse dilectos, ex eo inferri videtur quod idem Paul-
lus ad Hebraeos ii. habet, nimirum: »nusquam Angelos apprehendit,
»sed semen Abrahae«. Sextum: Petrus Ioanne vulgo melior fertur: in
hunc tamen singularis fuit Christi Domini benevolentia, adeo vt dis-
cipuli dilecti nomen obtinuerit; neque ipse se alio nomine in Euan-
gelio designet, quam, »discipuli quem diligebat Iesus«. Tandem:
poenitente meliorem esse innocentem nemo vnus dubitat: nihilom-
minus »maius gaudium in coelis est super vno peccatore poeniten-
»tiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indi-
»gent poenitentia«, vt Scriptura innuit. Quum autem gaudium ex
amore sit, argumento est hunc prae alio magis a Deo diligi, nam
eius conuersione magis delectatur: non ergo semper Deus meliora
plus diligit.

Sed pro omnibus iis similibusque facilis est et expedita responsio:
Primum itaque sic dissoluitur: diuinus amor et essentia idem omni-
no sunt, si in se expectentur, non ita si ad terminum comparen-
tur: hoc enim modo illud dicitur ad se, istud ad creaturas refer-
tur: vnde nihil obest, vt diuinae voluntati possit extrinsecum con-

not

(1) Tract. cx. in Ioan. (4) I. p. q. xx. art. 4.

notatum assignari; quamuis istud nequaquam essentiae idea ac no-
mine comprehendatur.

Ad secundum responderetur a nonnullis, non repugnare Deo amo-
rem concupiscentiae; non quidem eum, quo concupiscimus quod
non habemus, sed quo concupiscimus bonum illi quem diligitur.
+ Sed aliter responderetur: aliquem propter se diligit esse amorem con-
cupiscentiae, si inde aliqua vtilitas vel delectatio diligenti proue-
niat; non vero si minime proueniat: Deo autem quae vtilitas aut
delectatio ex creaturarum amore prouenire potest?

Tertio sic occurrimus: Deum velle saepenumero in suis crea-
turis mala naturae, cuiusmodi monstra sunt ac portenta, ea tamen
non velle directe et propter se, sed indirecto et propter naturae or-
dinem ad regimen vniuersi.

Quarti solutio haec est: Christum non toto hominum genere so-
lum, sed et tota rerum siue adspectabilium siue inuisibilium vni-
uersitate a Deo plus diligi, quum ipsi Deus maius prae omnibus bo-
num voluerit, vt loquitur S. Thomas: »dedit enim illi nomen, quod
»est super omne nomen, vt verus Deus esset«. Neque aliquid de
Christi Domini excellentia decessit, ex quo Pater pro hominum sa-
lute illum morte tradiderit: quin ex hoc factus est ille victor glo-
riosus, seu ineffabilem nominis sui gloriam morte sua promeruit,
vt scribit Apostolus.

Ad quintum dicendum: quod si de singulari humanitate quam
Dei Verbum assumpsit sermo sit, est illa Angelis multo melior, ma-
gisque prae omnibus a Deo dilecta, propter vnionem cum Verbo:
immo et humana etiam natura, quoad gratiam, inquam, et glo-
riam, quas potest habere, in quibusdam hominibus cum angelica na-
tura aequari potest; in aliis etiam indiuiduis illam excedere videtur,
vt B. Virgo; quidam autem Angeli ampliore multris hominibus
gratiam gloriamque habent. At si naturalia vtrorumque bona mutuo
conferantur, extra controuersiam positum est Angelos hominibus
absolute meliores esse, magisque a Deo dilectos, qui eis bonum na-
turae voluit multo excellentioris. Num autem Deus humanam assump-
sit naturam, quod haec melior angelica esset? Non certe quod ma-
gis hominem absolute diligeret, sed quod homo prae Angelo magis
egeret, sicut bonus Paterfamilias aliquid pretiosius dat seruo aegro-
tanti, quod non dat filio sano.

In sexto soluendo, illud repetere lubet quod scriptum est Pro-
verb.

+
I. Thom.
I. 2o. a. 2o.
ad 3. con-
cl. Deo
circa ideo
rationalia
amorem
concupi-
centiae, in
quibus ea
ad se, et
quasi ex
indigen-
tia prae
de hominibus
magis

uerb. xvi: »spirituum ponderator est Dominus, et non alius«. Vtrum enim melior Ioanne Petrus, an Petro Ioannes, quemue Christus magis in ordine ad gloriam vitæ aeternæ dilexerit, praesumptuosum esse iudicare, grauius S. Thomas sciteque concludit, variis veterum de re ista opinionibus adductis.

Postremum sic explicatur: poenitentes et innocentes mutuo se posse antecellere. Poenitens enim melior innocente erit magisque a Deo dilectus, si ampliori gratia praeditus sit, et vicissim. Verum si paria cetera sint, absdubio innocens dignior Deoque charior erit. Quid ergo caussae est, cur maius in Coelis sit gaudium de vno peccatore poenitentiam agente, quam, cet.? Quia maior plerumque horum, postquam ad meliorem frugem se receperunt est circumspectio, humilitas, atque bene agendi solertia: vel quia aequale gratiae donum insignis est poenitenti, qui poenam meruit, collatum, quam innocenti, qui nihil vniquam admisit, quo fieret poenae reus: vt maius profecto donum erit, si centum aureos ei a quo laesus est, quam si amico, quis tribuat.

APPENDIX.

Iis, quae de amore Dei erga creaturas suas dicebamus, affinis est quaestio alia, nempe, an amet Deus creaturas possibles, in qua quidem quaestione, quoniam non conueniunt inter se scholastici, eos in concordiam vocare tentat Cl. Bertius (5), illorum momenta soluendo, atque quo sensu singula firma sint explicando. Belle quidem ac sapienter. Neque enim de iis, quae parum nihilue ad dogmata Theologiae intelligenda conducunt, tamquam pro aris focusque disputare viro theologo decere arbitramur. Ergo quae sint vtriusque partis auctorum momenta, licet pertransenam, videamus. Qui tenent creaturas possibles amari a Deo, sic discurrunt: possibilia licet acta non sint bona, sunt tamen huiusmodi in suo genere, nempe, possibiliter: Deus vero quidquid bonum est absdubio diligit. Similiter: quemadmodum supra statutum fuit, omnium hominum salus possibilitatis terminos haud praetergreditur; et tamen illam Deus vere ac sincere vult: ergo quamuis res quaecumque possibilis nullam habeat existentiam, a Deo amari potest. Deinde res quae possibles sunt diuinam possunt terminare cognitionem: ergo et amorem; quum sicut veritatem possibilem tantum habeant, habeant et bonitatem. Ita ratio-

(5) Lib. v. cap. 2. prop. 1.

tiocinantur huius opinionis adsertores. Ex aduerso alii argumentantur, nempe, creaturas possibles nullam boni rationem participant: neque enim existentiam habent, nisi obiectiuam dumtaxat, et a diuina omnipotentia indistinctam: sed illud quod nullam habet bonitatem, diuinæ dilectionis obiectum esse nequit: non ergo res possibles Deus amat. Praeterea: Deus rebus possibilibus neque vtitur, neque fruitur; quum nec in vsum ab ipso ad aliquid obtinendum eligantur, nec ipsis tamquam vltimo fine delectetur: at ii duo sunt amoris actus, vt, nempe, et frui: nullus ergo actus amoris erga possibilia in Deo reperitur. Demum: quam bonitatem aut perfectionem largitur Deus creaturis possibilibus? nullam certe: non ergo illas diligit; si enim diligeret, quum eius amor effectiuus sit, illis largiretur quidquid dignum amore videretur.

Omnia vero haec, et quae obiciebantur antea, mutuo inter se contrariantur, si prima facie inspicantur: re tamen penitus inspecta id vnice suadent, et Deum creaturas huiusmodi amore aliquo efficaci neutiquam diligere, quod probant argumenta postrema; et quod Deus ea diligit non reuera, sed iuxta cogitationem nostram; quum vnice hoc modo habeant illae bonitatem, et non a parte rei. Relinquitur ergo Deum creaturas eiusmodi amare inefficaciter; vel potius eo ipso modo quo illae sunt.

CAPVT IX.

Dei prouidentiam multiplici argumento adserit.

Deus prouidentia sua gubernat omnia.

Innumera fere sunt Scripturae testimonia pro veritate ista firmanda. Quaedam seligamus. Sap. viii. legitur: »attingit a fine vsque ad finem» fortiter, et disponit omnia suauiter«. Et cap. xii: »non est alius Deus» quam tu, cui cura est de omnibus«. Matth. x: «nonne duo passeres esse vaeneunt, et vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt«. Et cap. vi: »respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa«.

Scripturarum testimonio consonant SS. PP. Nemesius (1): »neces-

Tom. I.

DD

»SC

(1) Lib. de nat. human. cap. 47.

»se est, inquit, eundem et procreatorem esse rerum omnium, et iis
 »prouidentem. Non enim consentaneum est, nec decet alium effice-
 »re, alium eorum quae sunt effecta curam gerere. Eiusmodi enim
 »prorsus imbecillitatis aliquid habet« cet. Ambrosius quoque haec
 »scribit (2): »et quis operator negligat operis sui curam? Quis de-
 »serat et destituat quod ipse condendum purauit? Si iniuria est rege-
 »re, nonne est maior iniuria fecisse, quum aliquid non fecisse nulla
 »iniustitia sit; non curare quod feceris summa inclementia? Haec
 »Ambrosius contra Epicureos et euersores prouidentiae: quibus sunt
 »affinia quae habet auctor commentarii in Epistolam ad Romanos,
 »qui sub Ambrosii nomine circumfertur (3): »si enim fecit, inquit,
 »et negligit; malus opifex dicitur; quia per id quod negligit, non
 »bona se fecisse quae fecit, ostendit. Sed quia bona fecisse negari
 »non potest... curam eorum necesse est ut dicatur agere«. Augustinus
 »Dei prouidentiam approbat ex eo quod iustus Deus sit, his ver-
 »bis (4): »Deus enim quouis homine optimo et iustissimo longe at-
 »que incomparabiliter melior et iustior est. Iustus autem regens et
 »gubernans vniuersa, nullam poenam cuiquam sinit immerito infligi,
 »nullum proemium immerito dari«. Et in lib. contra Adimantum Ma-
 »nichaeum (5), quod haeretici illi calumniabantur, Deum Zelotem ap-
 »pellari, refellit sic: »Iustum Deum et zelantem Deum tamquam con-
 »traria sibi esse dissertant, et decipiunt miseros, non intelligen-
 »tam spem salutis nostrae esse zelum Dei. Hoc enim nomine illa eius
 »significatur prouidentia« cet. Ioan. Chrysostomus Dei prouidentiam
 »nihil aliud esse quam conseruationem his verbis aperit (6): »non so-
 »lum creaturam produxit Deus, sed productam etiam fouet et con-
 »seruat. Siue tu Angelos dixeris, siue Archangelos, siue coelestes
 »virtutes, siue visibilia omnia, siue inuisibilia, haec illius prouiden-
 »tia fruuntur; ac si eius efficientia destituantur, abeunt, et difilunt
 »ac pereunt«.

Praeter Ecclesiae autem Patres, Philosophi quamplurimi Gentiles
 diuinae prouidentiae suffragati sunt. Il fuere inter ceteros Hierocles,
 qui scripsit in Stoico de fortuna et vsu Deorum, Chalcidius ad Ti-
 macum Platonis, Iamblicus segmento viii. de mysteriis Aegyptio-
 rum, Alexander Aphrodisiensis in lib. de fato, Gellius noctium At-
 ticarum lib. vi. cap. 2. Diogenianus peripateticus contra Chrypsium,

et

(2) In 1. de offic. cap. 13. (3) Ad cap. 2. (5) Cap. 11. (6) In Hom. qua-
 (4) In lib. lxxxiii. quaest. q. 44. dam de Paralytico.

et alii. Placet tamen vnius Lucilii Balbi e Stoicorum schola verba
 referre aduersus Vellacium Epicureum (7): »aut negandum est, in-
 »quit, Deos esse... aut qui Deos esse concedunt, iis fatendum est,
 »cos aliquid agere, idque praeclarum. Nihil est autem praeclarum
 »mundi administratione: Deorum igitur consilio administratur. Quod
 »si aliter est, prosequitur, aliquid profecto sit necesse est melius
 »et maiore vi praeditum, quam Deus, quale illud cumque sit« cet.

Sed sunt duo alii magistri nobis dati ab initio, ex Ioan. Chryso-
 stomi sententia; creatura nempe, et conscientia, quorum vterque sine
 vlla voce hanc nobis veritatem indicant. Ac primum ex rerum crea-
 tarum aspectu aeterna Dei cura ac prouidentia declaratur. Sius enim
 coelum astraque spectemus, siue elementa et quidquid coelo sub-
 lectum est, quot inde pro prouidentia Dei argumenta? Certi coelo-
 rum motus, ratiue astrorum ordines, quibus anni tempora ac sae-
 cula imperturbato nexu praetereunt: singulae mundi regiones, mira-
 billis animalium propagatio, regnorum, etiam diuinis oraculis prae-
 nuntiata vicissitudo, vti Graecorum, Chaldaeorum, Medorum, allo-
 rumue: hominum artes, commercia, consuetudines: brutorum ani-
 mantium vitae, cultus et administratio, mirabilis in plerisque soler-
 tia et industria in tuenda vita, in pabulo procurando, in quaeren-
 dis et fabricandis latibulis ac nidis, in periculis euitandis, in perse-
 quendis et captandis aliis. Quae omnia supremum esse moderatorem
 aliquem clamant, cuius ad haec gubernanda et dirigenda vis et prou-
 identia pertineat.

Expressius tamen humanis omnibus est atque efficacius domes-
 ticum illud prouidentiae testimonium, quod sibi quisque exhibet, qua-
 cumque Dei notitia et religione censetur; dum se tamen ipsum au-
 diat, neque naturae vocem perimat, postquam assiduitate scelerum
 ac desperatione humanitatem exuerit. Declarat hoc pulchre Tertullia-
 nus (8), vbi quum dixisset esse quosdam, »qui etsi Deum esse non
 »negent, dispectorem plane et arbitrum et iudicem non putent: in
 »quo vtiue nos (christianos) maxime reiciunt, qui ad istam dis-
 »ciplinam metu praedicati iudicii transuolamus«, mox illos refellit
 »communi humanae animae testimonio et instinctu, quo Deum non
 »agnoscit modo, sed quasi vindicem et cognitorem timet. An non
 »timet, inquit, quem magis propitium velit quam iratum? Vnde igitur
 »naturalis timor animae in Deum, si Deus non nouit irasci? Quomo-
 »do

Dd 2

(7) Apud Cicer. de nat. Deor. lib. 2. (8) In lib. de testim. animae cap. 2.

»do timetur qui nescit offendī?« Hinc illae voces vel aliud agentibus minimeque aduertentibus erumpunt: »Deus videt omnia, et »Deo commendo, et Deus reddet, et Deus inter nos iudicabit«. Hinc etiam instinctus ille omnium communis, vt subitis in casibus, ac periculis, et graui aliquo impendente discrimine, oculos ac manus in coelum erigant, indeque opem ac praesidium arcescant. Videantur de hac ipsa re Clemens Alexandrinus (9) et Saluianus (10).

His omnibus accedit ratio: nam agens intellectuale primo intendit finem ad quem omnia sua dirigit: at Deus agens intellectuale est: omnia ergo sua opera in finem dirigit. Similiter: si Deus est, profecto sapientissimus est, rerumque omnium ideas habens, omniumque creaturarum principium et finis: sed si non prouideret omnibus, et ad se omnia non ordinaret, non esset ille perfectissimus, neque rerum vniuersarum ideis repletus, neque in eo esset summa potestas, et finis vltimi praestantia: est ergo in eo prouidentia; quum haec ex Boetio, sit »ipsa illa diuina ratio in summo omnium principe constituta, quae cuncta disponit«.

Iam vero, quam hucusque adseruimus, Dei prouidentiam ad res singulas et abiectissimas extendi, paulo explicatius enodemus. Neque enim eorum tantum, quae maiora sunt ac praecipua, cura Deo adscribenda est, sed illorum etiam, quae ima sunt ac minutissima. Platonis haec sententia fuit, prouidentiam trifariam distribuendam esse: primam, aiebat, summi esse Numinis. Huic curae esse praecipue ideas; deinde totam hanc vniuersitatem, vti coelum et astra; vniuersalia omnia, iisque subiectas species. Secundam prouidentiam, minoribus adfugebat Diis, qui coelum obeundo perlustrant, quorum curae esse, dicebat, animantium propagationem, et stirpium omniumque quae gignuntur et intereunt. Tertiam prouidentiam daemonibus tribuebat, qui circa terram versantur, custodes actionum humanarum; atque horum esse curae res naturales et materia constantes, diuitias, ac fortunae bona; necnon quae iis contraria sunt. Id tradidit Philosophus christianus Nemesius (11): quam fabellam oppugnat Augustinus (12). Verum diuinam prouidentiam de iis omnibus curare, ac nihil neque vniuersalium, neque rerum singularium negligere, certissimum est christianae religionis dogma, cui Scripturae omnes vtriusque testamenti fidem faciunt, vt initio capitis monstra-

(9) In v. Stromatum.

(10) Initio lib. I. de Dei gubernat.

(11) Cap. XLIV. (12) In libr. I.

et x. de ciu. Dei capp. 8. et 14.

bamus. Eadem enim argumenta et testimonia, quae vniuerse prouidentiam esse aliquam euincunt, esse per omnia ac singula diffusam persuadent. Sunt tamen praeter adducta expressiora ista: Sap. vi. dicitur: »pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de »omnibus«. Lucac. xii. »sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt«. Et cap. xxi. »et capillus de capite vestro non peribit«. Quae verba expendens S. Augustinus, sic loquitur (13): »non perit »capillus, quem, quum tonderetur, non sentis, et peribit anima per »quam sentis? »Si sic tua custodiuntur superflua, in quanta securitate est anima tua? Iacta te in Deum, oprime te habebit in optimo«.

Hanc Dei prouidentiam, vel minima etiam curantem, et in singula intentam, haec Platonis argumentatio probat (14): si Deus neglectis minoribus, in solis occupatur maioribus, id ideo fit, vel quia omnibus administrandis mens ac potestas eius non sunt pares, vel quia, tametsi sint, non vult: neutrum autem Deo conuenit. Nam si non potest, hoc fit altera ex his causis: vel quia non nouit omnia, vt singulis consulat; vel etiamsi sciat, non tamen vim habet idoneam infinitis rebus eodem momento gubernandis. Primum procul a Deo abest, cuius infinitam scientiam praecedenti lib. demonstrauimus: secundum quoque ab eo relegandum, cui vim infinitam cognitioni infinitae parem, et gubernandis omnibus idoneam, quum de omnipotentia ageremus, tribuimus. Porro si et nouit singula Deus, et satis ad illa administranda virum ipsi inest, reliquum est, vt voluntas desit ac bonitas, nisi vnicuique prouideat: quod longe quam superiora duo, absurdius et indignius Deo est, cui ex eo turpis imponitur labe, vel malignitatis et inuidientiae, vel negligentiae ac dissidiae: gubernat ergo ille prouidentia sua creaturas omnes, minimas etiam et abiectissimas.

CAPVT X.

Errores huic dogmati contrarii recensentur: argumenta quibus diuina prouidentia solet oppugnari diluuntur.

Veterum Philosophorum complures Dei prouidentiam penitus sustulerunt. Non aliam enim causam, quam materiem agnoscentes, euentus omnes non aliunde, quam a materiei necessitate reperendos esse di-

(13) Serm. cccxxxiii. alias Hom. xlv. (14) Lib. x. de legibus.